





1. Gerlachij Stephij diff:  
de persona Servatoris Christi  
Tubingae 1577
2. Gesnerij Salamis diff. de  
quadruplici Homini con-  
sideratione, Witteb. 1576.
3. ———— diff. dud de  
Acolis triumphante in  
Coelis. Witteberga 1575.
4. ———— diff tres de Turra.  
Witteb. 1575.
5. ———— diff. de commu-  
nicatione idiomatum reali  
Witteberga 1576.



25

DISPUTATIO  
DE IUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM  
DEO, CUIUS VERITATEM, AV-  
spicijs Sacro sanctæ Tri-  
nitatis.

PRAESIDE DANIELE HOF-  
MANNO THEOLOGIAE DOCTORE  
& illustris Iuliæ Professore pro impetrando gradu  
Doctoris in Theologia, publicè defen-  
dere conabitur

M. LAURENTIUS SCHEVRLÉ  
VLMENSIS THEOLOGIAE IBIDEM  
*professor, pastor, & generalis Superin-  
tendens,*

Mense Maio.



HELMAESTADII  
Excudebant hæredes Jacobi Lucij, Anno  
M. D. XCVIII.

DISPUTATIO  
DE IUSTITIA  
TIONS HOMINIS CORAM  
DEO, CUIUS VERITATEM AV-

FRANZISKA DANIELLE HOF-  
MANN THEOLOGIAE DOCTORE  
& Publicis in Theologiae publicis desen-  
dece conabitur

M. LAURENTIUS SCHEERLE  
VIMENSI THEOLOGIAE IURIS  
Professore publico generalis superius  
inductus



HELMSTADII  
Excubantibus Jacobo Iacobi Anno  
M. D. C. C. C. VIII.





I.



Rticulus, de Iustificatione Hominis coram Deo, ita distractus est disputationibus pontificijs, vt de singulis penè oculis, quibus sacra scriptura, in illo explicando vtitur, disceptationes notæ sunt.

2. Verbum (Iustificare) nostri forense dicunt, quoniam fit Dei absoluentis hominem à peccatis, eumq; iustum pronunciantis.

3. Iustificatio, est actio DEI qua Deus ex immensa meraq; sua misericordia, & dilectione, misero, contrito peccatori credenti in Christum, gratis remittit peccata, & imputat obedientiam christi, vt persona reconciliata Deo, hæres sit vitæ æternæ, ad laudem gloriosæ gratiæ diuinæ, quæ homines, gratis, sibi gratos efficit, in dilecto filio, domino nostro Iesu Christo.

4. Causæ Iustificationis hinc manifestæ sunt 1. Efficiens deus est 2. Impulsiva est mera misericordia & dilectio DEI erga genus humanum, in filio delitescens, 3. Meritoria, est obedientia Christi satisfaciens pro peccatis, & reducentis veram iustitiam 4. Subiectum est miser peccator 5. Causa instrumentalis offerens & operans, est verbum Euangelij, cum sacramentis 6. Instrumentalis apprehendens, est sola fides 7. Causa formalis, est Remissio peccatorum, & imputatio Iustitiæ Christi 8. Causa finalis, vt Deus in gratia sua summe gloriosus agnoscat, eademq; gratia, homo viuat coram DEO.

5. Doctrina hæc, quia destruitur à pontificijs, & alijs

I.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.



illis, munienda & asserenda est: Ideoq; verbi forensis rationem sic probamus; quod homo, sistatur Deo peccator, qui cum in iudicio iustificari nequeat Ps. 143. ver. 2. factores enim Legis (hoc est, qui permanserit, in omnibus quæ legis sunt, Deut. 27. ver. 26. Galat. 3. v. 10.) ibi iustificantur. Rom. 2. ver. 13. & tamen iustus pronuntiatur, non nisi per absolutionem à peccatis, aliena iustitia iustificabitur. Quis accusabit Electos Dei? Deus est qui iustificat. Rom. 8. ver. 33. Ei qui nō operatur, creditur autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia Rom. 4. ver. 5.

1. 6. Bellarminus hanc partem vellicans lib. 2. de Iustif. cap. 3. obijcit, verbum (iustificare) non semper esse forense in sacris literis, & primò ex 12. Danielis ver. 3. profert, quod qui multos erudiunt ad iustitiam, phrasi hebræa, dicantur eos iustificare. Respondemus, propria significatio verbi, forensis est, etsi aliæ sint partes Dei, aliæ ministrorum. Cumque Doctores Ecclesiæ, quibus ministerium Reconciliationis commissum est. 2. Cor. 5. ver. 18. Collaborent ad eam 2. Cor. 6. ver. 1. gignantq; filios in Christo Iesu per Euangelium 1. Cor. 4. ver. 14. & 15. itaq; sint ministri, per quos auditores credant 1. Cor. 3. ver. 5. & sic fide iustificantur; tūm sane, scholasticas potius seu Ecclesiasticas quàm forenses partes sustinent, de alia tamen iustificatione, quàm quæ sit absoluetis Domini, docere suos non audent, si fideles dispensatores mysteriorum Dei habere velint 1. Cor. 4. ver. 1. Cum Euangelium non sit aliud & aliud Gal. 1. ver. 6. & 7. neq; Angelo è coelis, citra metum anathematis, aliud prædicare liceret, quam tradiderat Paulus ver. 7. & 8.

2. 7. Idem respondetur ad sententiam, Qui docendo  
iusti-

iustificat, non Iudicis more iustificat: iuxta quam exponitur, quod Esa. 53. ver. 11. dicitur. In scientia sua, iustificabit ipse seruus meus multos. Etsi enim Christus est prece Euangelij primus, Ioh. 1. ver. 18. neq; Apostolus sustinuerit quicquam loqui, quod non effecerit per ipsum Christus, Rom. 15. ver. 18. & sic fides ex auditu. Rom. 10. ver. 17. fides tamen alia, nec docetur nec efficitur per Christum, quam quæ iustificationem absoluentis norit, petat, auferat.

8. Similes sunt cæteræ argutiæ, confundentes distinctas causas, iustificationem item, & sanctificationem, quasi vno dato, aboleatur alterum, vel vnum transeat in alterum.

9. Apocal. 22. ver. 11. Qui iustus est iustificetur adhuc. Nullo modo inquit Iesuita, verbum (iustificare) hinc more forensi accipi potest, quia dicitur, qui sordidus est sordescat adhuc. Qua autem lege consequentiæ, hoc stabit, cum fide purificentur corda sordidorum Act. 15. ver. 9. proposito Christo propitiatorio, per fidem in sanguine ipsius, ad declarandam iustitiam, per remissionem peccatorum Rom. 3. ver. 25. Sanguis enim ille, emundat nos ab omnibus peccatis. 1. Ioh. 1. ver. 7.

10. Non tamen negamus, consequi etiam renouationem & sanctificationem, sed ne confunderetur hæc, cum iustificatione, distinctè additur in Apocalypsi. Et Sanctus, sanctificetur adhuc: vtque renouatio imperfecta, de diem in diem, magis perficitur 2. Cor. 4. ver. 16. Ita iustitia fidei, in se perfecta, continuatur, vel repetitur, vt Euangelij dicitur reteri, ex fide in fidem Rom. 1. ver. 17. cum septies in die cadat iustus, & resurgat. pro- uerb. 21. ver. 16. Sancti rogent remissionem peccatorum Ps. 32. ver. 6. Matth. 6. ver. 12.

1. *Causa efficiens.* 11. **DEVS**, est causa efficiens, istius iustificationis Iob. 14. ver. 4. Quis potest mundum facere de immundo, conceptum semine, nonne tu, qui solus es. Psal. 32. ver. 1. Dominus non imputat peccatū Pf. 51. ver. 2. Deus delet iniquitatem. Item Esaias. 43. ver. 25. Rom. 3. ver. 26. 4. ver. 5. & 8. ver. 33. Quoad causam consentit Iesuita, dum autem iustificationem, cui causa detur, modo forensi intelligere recusat, ne hic quidem Orthodoxus est.

2. *Causa impulsiva* 12. De causa impulsiva iterum videtur nobiscum sentire, cum lib. 2. de Iustif. cap. 3. scribit. Deum nos iustificare, ex mera sua liberalitate, quantum ad nostra merita, Nullo enim nostro opere meremur iustificationem.

13. Quia verò. idem, lib. 1. cap. 21. duo genera operum facit, primum quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij: secundum eorum, quæ nascuntur ex gratia præueniente, & ex fide, suamque vniuersalem negatiuam, ad primam restringit, de secunda vero accipere prohibeat, meritumq; de congruo tolli indigne ferat, ne (vt aperte loquitur) concedere cogatur, Gratis iustificari, esse, iustificari sine vlla dignitate fidei, aut operum, ex sola fide apprehendente promissionem: iure conquerimur, Iesuitam, verbis alicubi imponere, vt sanus videatur, cum insaniat.

14. Andreas Vega, pars concilij Trident. & interprese eius lib. 8. de Iustificatione: cap. 10. negat cum Bellarmino, quod patres istius concilij negarint vel asseruerint, merita ex congruo, iustificationis: non tamen dissimulat, dissensionem esse scholasticorū, vt difficulter verū defendi queat, Tridentini, quod asseruerint, perpetuo Ecclesiam Catholicā, hæc verba (Gratis iustificari) sic



fic intellexisse, vt neq; fides, neq; alia opera, iustificationem præcedentia, iustificationis gratiam promerentur.

15. Audet tamen ille commentator fingere, aliquando meritum cum rigore, aliquando sine rigore accipi. Cum rigore dictum putat, cum ex debito, ex rigore iustitiæ & ex condignitate operum mereri, intelligitur, & sic peccatores, bonis suis operibus iustificationem promereri inficiatur: solum verò ab eo rigore, Meritum ait significare, ea bona opera causas esse & dispositiones, propter quas Deus ex gratia sua, & misericordia peccatores iustificet.

16. Quanta vero hæc sunt portenta explicationum, cum aut meritum iuxta legem nullum sit, aut indignitate operis ad iusticiam exacti, debitum importet? Et quis non videt alteri definitioni id inesse. Bona enim opera appellat quibus mereatur homo, vt propter illa, Deus det gratiã & quidem necessariò, vt alias loquuntur, hic vero subiceat.

17. Rectè ergo Apolog. Aug. conf-in loco de iustificatione sic statuit, Quod fingunt discrimẽ inter meritum congrui, & meritum condigni, ludunt tantum, ne videantur aperte *παρανομίαν*. Nã, si Deus necessariò dat gratiam, pro merito congrui, iam non est meritum congrui, sed condigni, quãquam quid dicant, non videant.

18. Stupenda vero est impudentia Bellarmini quod non veretur Chemnitium mendacij arguere, quia scripsit: Meritum de congruo, esse Helenam, pro qua dimicet concilium Tridentinum. Etsi enim abstinet ab Appellatione scholastica, tamen quia non reiecit meritum, vt Vega confitetur, sed disertè scribat, iusticiam à Deo nobis infundi, secundum dispositionem & cooperationem

perationem vniuscuiusque, definitionem certè meriti congrui, quod sic appellat & tuetur, Bellarminus comprobauit.

19. Non definiuit (inquit) concilium, dispositionem esse meritoriam. Quasi verò, homines sint stiptes, meriti rationem nullatenus attendentes, cum dispositiones vocantur opera, quæ sint causæ, propter quas Deus iustificet? Et quomodo erit meræ liberalitatis, quod propter cooperationem hominis datur? Hic verò pedem figat, nobiscum ita congressurus, vt à Pelagianismo excuset concilium Tridentinum.

20. Pelagianismum autem definimus, cum gratiæ & liberalitati Dei, ne mera sit, detrahatur, siue id minutum siue maximum sit, id quod Bellarminus nolens volens concessit, cum meram liberalitatem Dei, particula (Gratis) indicari affirmarit, Pelagianus autem, sit hostis illius gratiæ Dei, siue totam auferat, siue diluat ne mera sit.

3. *Causa Meritoria.*

21. Quam nos vocauimus causam Meritoriam, eam rursus videtur agnoscere Iesuita, cum lib. 2. cap. 3. scribit in dicto ad Rom. 3. ver. 25. Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, causam esse iustificationis meritoriam. Qui verò semel recepit meritum nostrum, is hanc causam, non potest inuiolatam profiteri.

22. Et hæc est ratio, quare Pontificij, Christum tradant, mortuum tantum pro peccato originis, non verò pro Actualibus, sed instituisse Missam, in qua fiat oblatio, pro quotidianis delictis, mortalibus, & Venialibus, & vt Missa, sit opus, delens peccata viuorum & mortuorum ex opere operato, de quo Errore August. conf. articulo 3. & qui est de Missa, agit.

23. Vt autem rectè iudicat confessio, isto errore lædi glo-

di gloriã passionis Christi, ita causam meritoriam iusti-  
ficationis, quæ sit redemptio Christi, sua gloria priuant  
Pontificij, partem meritoriam hominibus asserentes.

24. Rom. 3. ver. 25. Redemptio in Christo Iesu doce-  
tur, quem Deus proposuit propiciatorium per fidem in  
sanguine ipsius. Est autem illa victima, agnus ille Dei,  
qui tollit peccata mundi Iohan. 1. ver. 29. deditq; se-  
metipsum pretium redemptionis, pro omnibus 1. Ti-  
moth. 2. ver. 6. vt sit propitiatio pro peccatis totius mû-  
di 1. Iohan. 2. ver. 2. Et sanguis eius, emundet nos ab  
omni peccato 1. Ioh. 1. ver. 7.

25. Sufficientiam autem tanti precij, cum sit *Χρῆμα*  
*λασμε*, non ponimus in nuda humana passione & morte,  
sed, quod Deus suo sanguine acquisiuerit Ecclesiam  
Act. 20. ver. 28. Dominus gloriæ crucifixus sit 1. Cor.  
2. ver. 8. Quod *Χαρίτι τῆ θεῶν* pro omnibus gustauerit mor-  
tem. Heb. 2. ver. 9. vt tanto magis sanguis Christi, qui  
per spiritum æternum, se ipsum obtulerit inculpatum  
Deo, purget conscientiam nostram à mortuis operibus  
Heb. 9. ver. 14.

26. Atq; sic demum segregamus nos à pontificijs,  
qui officium mediationis, Christo secūdam humanam  
tantum naturam tribuunt, abutentes distinctionis par-  
ticulis, in doctrina de communicatione Idiomatum,  
contra Regulam Leonis: Agit vtraq; natura cum com-  
munionem alterius, quod cuiusq; proprium est, de quo,  
alia disputatione fusius egimus & hic repetere debui-  
mus, quod Bellarminus lib. 1. de Iustificat. cap. 2. filium  
Dei, ratione humanæ naturæ causam iustificationis in-  
strumentariam, sed coniunctam ( respectu verbi & Sa-  
cramentorum quæ instrumentariam separatam vocat)  
appellet, & quidem Brachium Domini Esa. 53. ver. 1.  
B. *Instrumentariam* talem

talem causam faciat, quod cum diuinæ potentia, per assumptam naturam operantis rationem habeat, iuxta λόγον ὀργάνικόν, Iesuitæ multum largientur Arrianis.

4. Subie-  
ctum. 27. Subiectum appellamus peccatorem. Sicut enim Christus, pro impijs Rom. 5. ver. 6. pro peccatoribus & inimicis ver. 8. mortuus est, & inimici reconciliati Deo, per mortem filij ver. 10. Ita Deus, iustificat impium. Rom. 4. ver. 5.

28. Errat Bellarminus cum suis, qui lib. 1. cap. 2. materialem causam, appellat animam hominis, siue ipsam eius voluntatem, in qua, iustitia, tanquam in subiecto, & sede propria commoretur.

29. Cum enim scriptura totum hominem concluderit sub peccatum vt alia disputatione probauimus, idq; euincat Esa. cap. 1. ver. 6. A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas, ideoq; ab Apostolo, vniuersalis particula (omnia) ponitur Galat. 3. ver. 22. & quidem hac intétione, vt promissio ex fide Iesu Christi, detur credentibus: falsum, est partem hominis facere subiectum iustificationis, contra thesin 26.

30. Redempti sumus non auro & argento, sed precioso sanguine Christi 1. Pet. 1. ver. 18. 19. ideo vt glorificetur Deus in corpore & spiritu nostro quæ sunt Dei 1. Cor. 6. ver. 20. quo referantur etiam, ablutio, sanctificatio, iustificatio, ver. 11. vnde corpus Domino, & Dominus corpori ver. 13. Ex quo Apostolus sic colligit Galat. 3. ver. 29. Quod si vos, Christi, nempe Abrahamæ semen estis, & secundum promissionem hæredes. Totum igitur hominem iustificari dicimus, vt deniq; totus sanctus sit, quem admodum Apostolus inquit: Ipse Deus, pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus, & anima, & corpus inculpate in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur, 1. Theff. 5. ver. 23.

31. Ad materialem caussam refert Iesuita etiam dispositiones, quæ materiam præparât, ad recipiendam formam. Dispositiones autem vocat, omnes actus gratiæ & liberi arbitrij, quibus donum ipsum iustificationis acquiratur.

32. Nos verò, Philosophicas illas speculationes de materia & forma, nullo verbo Dei suffultas respuimus. Etsi enim distinctiones causarum, docendi causa aliquo vsq; recipimus, modum tamen physicum in his spiritualibus operibus non somniamus. Cumq; solius Dei virtus sit, hominem refingere in filium suum, vt qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo natus sit. Ioh. 1. ver. 13. agnoscimus sanè, diuinæ gratiæ præparationes, vt & perfectiones, cum homo, Deo assertus, gratia Dei sit, quicquid sit. 1. Cor. 15. ver. 10. Sed omnes actus liberi arbitrij naturales, vt inimici Dei. Rom. 8. ver. 7. & Serui peccati Rom. 6. ver. 16. mortificandi sunt. Rom. 6. ver. 3. & 4. & gratia Deo agenda, quod mortui peccato ver. 11. credimus. ver. 17.

33. Conclufit Deus omnes in incredulitate vt omnium misereatur. Rom. 11. ver. 32. Subiectum ergo ex se indispositum, iustificationi traditur, vt mera gratia Dei, sine operibus suis, homo iustificari credatur.

34. Causam instrumentalem, ordinatione diuina offerentem & operantem, constituimus verbum Euangelij, & sacramenta. Nam Christus, verba vitæ æternæ habet. Ioh. 6. ver. 68, vos puri estis propter sermonem quem locutus sum vobis. 1. Ioh. 15. ver. 3. Et Euangelium, est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. ver. 16. Hoc est verbum fidei. Rom. 10. ver. 8. quod asferitur iusticiæ quæ ex fide est ver. 6. de cuius verbi effi-

5.  
Causa instrumentalis offerens & operans.

cacia. ver. 14. & 15. Ex hoc sermone Dei viui & manentis in æternum tanquam ex semine immortali, renascuntur homines. 1. Pet. 5. ver. 23. Quod est verbum Euangelij. ver. 25. hinc filij promissionis appellantur. Rom. 9. ver. 8.

35. Tantum verò tribuere Philosophiæ, & sermoni sapientiæ mundi, quemadmodum Pontificij, iustificationem, Philosophis gentilibus decernunt, & vt Andradius restatur, Tridētinum Concilium non improbauit, intollerabile est. Refutat autem errorem Apostolus Rom. 1. ver. 21. & 22. & Rom. 10. ver. 14. Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo autem audient sine prædicante? 1. Cor. 1. ver. 18. Quod nobis est potentiæ verbum, philosophis stultitiæ verbum esse, eosq; perire dicitur. vide seq. & quæ cap. 2. & 3. in hunc sensum repetuntur.

36. Retinemus sententiam Augustini: Non sacramentum sed fides sacramenti iustificat, & repetitur illa, sæpè à Luthero, ideoq; in Apologiam Augustanæ confessionis recepta est. opponitur autem, operi operato pontificiorum, nequaquam autem virtutem Sacramentis debitam, denegat.

37. Cum autem promissio Euangelij sit potentia Dei Rom. 1. ver. 16. & hæc vestita sit Sacramentis, quorum pars essentialis, est promissio Euangelij, quoniam baptizamur in nomine CHRISTI Matth. 28. ver. 19. & corpus sanguisq; Christi, cum promissione nobis legantur 1. Cor. 11. ver. 24. & 25. ideo fides, recumbens in promissionem vestitam, quæ Augustino dicitur, fides sacramenti, iustificat.

38. Quia verò Scriptura sic loquitur: quod renascamur ex aquâ & Spiritu Ioh. 3. ver. 5. quod Deus saluos

nos

nos fecerit per lauacrum regenerationis & renouationis Tit. 3. ver. 5. Quod Baptismus nos saluet. 1. Pet. 3. ver. 21. ideo quod negatum est de nudis symbolis (Sacramentum non iustificat) non debet derogari integro Sacramento, quod ex elemento & verbo constat, ideoq; Sacramenta, vt & verbum Dei simplex, fecimus causam instrumentalem offerentem & operantem.

39. Rectè ergo Catechismus Lutheri docet: quod Baptismus operetur remissionem peccatorum, idq; sic explicat, quod aqua sanè illud non efficiat, sed verbum Dei & fides, quæ verbo Dei in aqua credat. Hoc depromsit Lutherus ex cap. 5. ad Ephes. vbi dicitur Christus, purgare Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo ver. 26.

40. Bellarminus igitur criminatur mendaciter, quod istam operationem Sacramentorum negemus, reprobando opus operatum Pontificiorum. Et hoc tamen, illa salua, execramur, quia remissi in Sacramentis ad promissionem gratiæ vestitam, aut nulli nostro operi fidemus aut promissionem illam adulterinâ fide abolebimus, & fingemus aliam planè diuersam & aduersam.

41. Fidem docemus esse causam instrumentalem apprehendentem, vt, cum verbum & Sacramenta sint Noui Testamenti, & foederis sanctissimi pignora, manus Dei representantia, manus nobis sit, quæ implicetur manui Dei, vt constet ex egiptua quod in Baptismo fieri docet Petrus 1. Epist. cap. 3. ver. 21.

42. Haud pugnaremus grauiter, si Pontificij tantum negarent, fidem esse causam instrumentalem iustificationis, quia periculosum est hic Philosophari, & causæ istius rationem, ad sapientiam carnis exquisitam exigere: verum, non hoc, sed veram sententiam à scriptura traditam infestant.

B 3

Ne-

6.  
Causa instrumentalis apprehendens.

43. Negant enim, fidem, hinc significare fiduciam, apprehendentem Christum, & in apprehensione ista, tantum propter Christum apprehensum iustificare. Fingunt autem, fidem hinc considerari, ut virtutem Philosophicam, quamuis partim gratiæ, partim libero arbitrio vendicent aliqui: nonnulli verò, planè homini animali. Hanc virtutem, quæ sua dignitate æstimatur, cum alijs operibus, hominis iustificationem antecedentibus, faciunt causam dispositiuam, & meritum, illud congrui, quod supra reiecimus.

44. Multum sibi, astipulante insigni Sophista Pistorio, pollicetur ex eo, quod fidei negant fiduciam. Argumenta autem negationis, quæ collegit Bellarminus lib. 1. de Iustificatione cap. 6. Vanissima sunt. Quia enim fides, noticia & assensus definitur, ille iudicio horum, negat fiduciam, non secus ac si quis fidem in mente consideratam, negaret esse in voluntate. In hac tam crassâ Sophisticâ Pistorius acutus videri cupit.

45. Vis nostræ sententiæ in his consistit, quod scriptura, fidei proponit Christum obiectum, quem recipiat & apprehendat, & sic credat in eum. Hos nervos nostros incidat rectè, qui nobis fidem nostram interuercere cupit.

46. Plus esse, credere in Deum, quàm credere Deum, & Deo, etiam Thomistæ fatentur. Sic igitur, cum fides, dicitur noticia historiæ Christi, cum assensu, satis non dicitur, nisi fides in Christum addatur. Ac sicut credere in Deum, Thomistæ amplexu Dei definiunt, ita fidei iustificanti, ille debetur, quia in Christum credere iubentur iustificandi.

47. Illi quidem fidei formatæ, hoc est dilectionis potius amplexui, quàm fidei immediatæ apprehensio-



ni, istud tribuunt, quia verò fides, distinguitur à dile-  
ctione 1. Cor. 13. ver. 13. & frequentissima phrasis est  
scripturæ, credere in Christum, ipsi fidei, suam appre-  
hensionem tribui necesse est, quæ non erit nisi fiducia.  
48. Qui credunt in nomen Christi dicuntur recipe-  
re Christum. Ioh. 1. ver. 12. Hinc in Augustana confes-  
sione, & Apologiâ eius, apprehensio Christi, toties in-  
culcatur, quia fides est in oculis Pontificiorum.  
49. Fides historica, etiam in impijs esse potest, vt in  
Diabolis est. Iacob. 2. v. 19. sed caret fiduciâ, seu appre-  
hensione: Tenebræ non receperunt eum. Ioh. 1. ver. 5.  
Hinc manifestum est, fidem sine fiduciâ non iustificare,  
non saluare. Et talem tantum docent Pontificij, adeò  
vt etiam fiduciam, hostiliter impugnent.  
50. Quandoquidem autem fiduciam negare nõ pos-  
sunt, fingunt eam quidem effectum esse fidei, sed non  
fidem ipsam. Hic sanè concedimus fidem historicam  
sine fiduciâ dari, neq; litigamus de eo, num cognitio-  
nem & assensum sequatur fiducia, & quidem inde Dei  
virtute accensa, sed hic tenemus fidem, nisi in hoc gra-  
du fiduciæ, non iustificare.  
51. Quemadmodum autem perperam sic colligitur:  
Fidem non esse voluntatis assensum, quia hæc, mentis  
noticiam consequatur, quæ fides dicatur: ita fides non  
rectè negabitur fiducia, quamuis hæc, noticiam & as-  
sensum consequatur.  
52. Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine, in-  
trabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem  
patris mei qui in cœlis est. Matth. 7. ver. 21. Hæc est au-  
tem voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui videt fi-  
lium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ioh. 6.  
ver. 40. Docemur itaq; grauitè, fidem historicam nul-  
lius frugis esse, sine fiducia. 53. Ne-

53. Neq; in ipsa noticia historica, quæ possibilis est naturæ humanæ & Diabolis, *impressio* saluificæ fidei statuitur, sed in noticia & assensu, per spiritum sanctum donato, ijs qui ita cognoscunt, vt potius cogniti sint à Deo Gal. 4. ver. 9. Proin Christus de illis, qui dicunt: Domine Domine, & non intrant in regnum coelorum, etsi miracula in nomine Domini fecerint, inquit. Matt. 7. ver. 23. Nunquam noui vos.

54. Idem inest huic dicto Ierem. 17. ver. 7. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Parum autem intelligit de fide iustificante, qui reciprocam illam rationem nescit. Paulus credens, se à Christo Iesu apprehensum, fatetur Phil. 3. ver. 12.

55. Bellarminus scribit Ieremiam voluisse dicere quod Psal. 39. (40. ver. 5.) David dixerit: Beatus vir cuius est nomen Domini, spes eius. Quia verò aliud fides, aliud spes. 1. Cor. 13. ver. 13. Quapropter concludit fiduciam. Ierem. 17. non esse fidem.

56. Etsi verò spes à fide distincta, in Psalmo appellaretur, tamen cum dilectioni & spei sua sit in Deo adhæsiō, neq; vnus amplexus D E I, vetat alterum, ideo neq; id quod spei est, derogabit fidei, suum quo Deum tenet, fiducialem amplexum. Sed nemo nisi imperitus linguæ sanctæ, in Psalmo prohibebit interpretari, fiduciam, quæ eadem sit cum fide, quæ, vt omnes virtutes, ita & spem animat suo robore. Etsi igitur distinguitur in eo, quod sibi proprium est, tamen quod ex fide habet, illi non adimit, vnde habet.

57. Quid est credere in spe contra spem, Rom. 4. ver. 29. quam spem fide suffulcire ne euanescat? Annon quicquid non est ex fide peccatum est? Rom. 14. ver. 23. An vetus interpres eandem vocem vt Iere. 17. ita Pro-  
uerb.

uerb. 22. ver. 19. & cap. 28. ver. 1. & alibi reddens fiducia, noluit fiduciam accipi? Fidem utiq; presentium, in priore definit, & in altero inquit. Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi Leo confidens.

58. Neruum fidei, qui est fiducia, scriptura etiam hac phrasi proponit: venire ad Christum. Qui igitur dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Matth. 11. ver. 28. is inuitauit ad fiduciam sui, sicut Ioh. 6. ver. 35. seipsum exponit inquit: Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquam esuriat, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Quoties autem Christum obiectum fidei appellamus, intuemur eum, ut in promissione Euangelij nobis proponitur, propitiatorium, ideoq; Christum, cum omnibus bonis suis contuemur, scientes, quod qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, cum ipso nobis omnia gratificari velit Rom. 8. ver. 32.

59. Mirum autem non est, fidem Pontificiorum, ab hac fiducia euacuari, quia fidem ex libero arbitrio, parum tangente illud gratia producant. Cum Christus Ioh. 6. ver. 44. de vera fide in se conuersa dicat: Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.

60. Eph. 3. ver. 12. In Christo Iesu Domino nostro habemus libertatem (*παρρησίαν*, vetus, fiduciam,) & aditum in fiducia (*ἐν πίστει*, vetus, accessum in confidentia) per fidem ipsius. Hic argutus est Bellarminus: si habemus accessum ad Deum in confidentia seu fiducia per fidem, certè sequitur, ut fides non sit fiducia, sed fiducia causa.

61. Quasi verò per fidem non fidamus, & per spem non

non speremus. Quod si verò expectatio ipsius spei fuerit, quis fidei fiduciam negabit.

62. Hanc autem partem, de fiducia, non tam vt actus est, quàm vt correlatiuè notat Christum, consideramus, vt Christus apprehensus fide, fidem iustificantem reddat, & iustificatio gratuita constet, quod non fieret dignitate fidei, ex forma operis aestimata, & sic ad efficientem iustificationem producta. Et hæc est vis sancti sermonis, quod fide appellatâ, opera excluduntur.

63. Philosophiæ absurdum nobis exprobrant, quod fidem in intellectu & voluntate, adde etiam in corde ponimus, cum tamen fides ex auditu nascens, cognitione oriatur Rom. 10. ver. 14. & sit cognitio Phil. 3. ver. 8. & *πληροφορία* quæ est fidei. Rom. 4. ver. 21. Scholasticorum consensu, intellectus donum sit. Dicitur *πιστις* Rom. 1. ver. 5. Et obedire Euangelio, est credere. Rom. 10. ver. 16. Et disertè fides voluntas dicitur. Matt. 15. ver. 28. corde creditur ad iusticiam. Rom. 10. ver. 10. Et sanè hæreret nobis aqua, si virtutem specialem definire, & in hoc Philosophiæ leges obseruare cogeremur. Sed quid respondebunt Deo, qui dilectionem ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, ex totis viribus, ex tota mente flagitat, Deut. 6. ver. 5. Matt. 22. ver. 37. Luc. 10. ver. 27.

64. Quandoquidem autem fides, noticia & assensus dicitur, in quibus mens & voluntas, distincta subiecta concurrunt, ne inde sit nobis instantia contra Pontificios, Iesuita lib. 2. de Iustif. cap. 7. fingit, fidem non tam esse noticiam, quàm assensum. Quia verò nobis vniuersum testimonium scripturæ pluris est, quàm proluxa disputatio arguti, opponimus quod Esa. 53. ver. 11. dicitur: Notitia sui, seruus meus iustificabit multos. Quod semper Ecclesia de fide intellexit.

54. Esa-

65. Esaiæ 7. inquit, scribitur: Nisi credideritis non intelligetis. Ergo fides non est intelligentia, sed gradus ad eam. R. Elegans est sententia L X X. interpretum quæ nequaquam ponit fidem sine noticia, & ante noticiam. Fides enim non est nisi ex auditu. Rom. 10. ver. 14. Sed, quando audita, rationi conformanda sunt, talis intelligentia cum sit mors. Rom. 8. ver. 6. neq; præmittenda neque committenda est fidei, sed cum verbo audito, operante spiritu sancto, creditur, hæc ipsa fides est vera noticia, & intelligentia, itaq; non remouenda, sed ad constitutionem fidei assumenda.

66. Mundum constructum esse verbo D E I, ut quæcernimus, non sint ex apparentibus facta auditur, sed carnis intelligentiâ inimicâ dictis, non cognoscitur, per fidem autem intelligitur Heb. 11. ver. 3. quia certitudinem persuasit menti, & assensum excitauit in voluntate, qui est author huius, non philosophicæ sed diuinæ fidei, D E V S nimirum.

67. Capite sequenti, dicto libro, Iesuita, eripit fidei iustificanti obiectum, quod sit specialis misericordia. Nos quidem, fidei Christianæ, obiectum damus omnia, quæ patefecit Deus in verbo, de se, & voluntate sua, quando quidem autem Deus ita dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioh. 3. ver. 16. ideo ad Christum, pignus iustificantis, & saluantis misericordiæ fidem remissam statuimus, neq; est aliud nomen sub cœlo, datum hominibus, per quod oporteat nos seruari præter nomen I E S V. Act. 4. ver. 22.

68. Christus igitur ex cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratiâ. Ioh. 1. ver. 16. inter omnia, quæ scriptura proponit, veluti gemma fulget, ut spe-

Actur specialiter. Non decreueram quicquam scire  
inter vos, nisi IESVM CHRISTVM, eumq; cru-  
cifixum. 1. Cor. 2. ver. 2. is caput est Ecclesiae, & in o-  
mnibus primas tenet. Col. 1. ver. 18. cui nomen super o-  
mne nomen, Eph. 1. ver. 21. Phil. 2. ver. 9.

69. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id  
quod positum est, quod est IESVS CHRISTVS.  
1. Cor. 3. ver. 11. Positus autem est Christus in signum  
populorum. Esa. 11. ver. 10. quod exaltatione serpentis,  
ad quem specialiter aspiciendum remittebantur, icti-  
bus serpentum vulnerati. Num. 21. ver. 9. significatum,  
Christus ipse sic exponit. Ioh. 3. ver. 14. & 15. Ita extol-  
li oportet filium hominis, vt quisquis credit in eum,  
non pereat, sed habeat vitam aeternam.

70. Quia verò hoc signum iustificantis fidei in ver-  
bo & Sacramentis eleuatum. Esa. 49. ver. 22. Pontifi-  
ciji factum est signum contradictionis & ruinae. Luc. 2.  
ver. 34. fugiamus illam Synagogam, eique dictum scia-  
mus, quod Petrus concilio Sacerdotali. Act. 4. ver. 11.  
exprobrauit, quod videlicet ipsis Christus sit lapis  
sternutis. Teneamus autem, quod ver. 12. loquitur; Non  
esse in vlllo alio salutem.

71. Quid multis opus est? iustificandi vocamur ad  
Christum Iesum, propositum omnibus hominibus pro-  
pitiatorium, per fidem in sanguine ipsius. Rom. 3. ver.  
25. vocamur imprimis, vt credamus in eum, quo cessan-  
te, condemnatio constat. Ioh. 3. ver. 18. & 36. etiam ei,  
qui per nomen Christi prophetauit, per nomen eius dae-  
monia eiecit, & per nomen idem, multas virtutes edi-  
dit. Matth. 7. ver. 22.

72. Hac sola fide iustificamur, de anima desideran-  
te DEVM, & sitiente DEVM, fontem viuum. Ps. 42.  
ver.

ver. 1. & 2. dicitur. Psal. 62. ver. 1. Tantum DEO filet  
anima mea, ab ipso enim salus mea. ver. 6. Tantum Deo  
tacet anima mea, quoniam ab ipso est, quod praestolor.  
ver. 7. Tantum ipse est Petra mea, & salus mea, eleua-  
tio mea, & non nutabo. ver. 8. In Deo est salus mea, &  
gloria mea, robur certitudinis meae, spes mea in DEO  
est. ver. 9. Confidite in eo, omni tempore o populi, ef-  
fundite coram eo cor vestrum, Deus est spes nostra Sela.  
ver. 10. Tantum vanitas sunt filij hominum, menda-  
cium filij viri, in stateras si ascendant, ipsi leuiore erunt  
vanitate simul.

73. Hic, quicquid est fidei, à primo desiderio vsq; ad  
fortitudinem, spem suffulcientem & sic vsq; ad finem,  
sic describitur, quod tantum Deo adhaereat, tantum  
in ipso acquiescat, tantum ipsi vt petrae innitatur, nec  
in spem aliam soluatur, quam qualem fiducia, tantum  
Deo subnixa, format. Quod si praeterea in filijs homi-  
num, ve etiam in filijs viri, hoc est non solum in com-  
muni natura humana, sed etiam in excellentia eius vi-  
rili & heroica aliquid quaeratur, tantum vanitas requi-  
ri dicitur, adeo vt omnes homines in vnum conflati, va-  
nitatem non aequent, sed leuiore sint.

74. Notetur igitur vis exclusuarum, tantum Deum  
resonantium, & humana omnia in hoc articulo sic re-  
mouentium vt pro nihilo reputentur, ex quo definitur  
vanitas. Huc pertinet nobile testimonium Esa. 40. ver.  
6. Omnis caro herba, & omnis gloria eius quasi flos a-  
gri ver. 7. Exaruit herba & cecidit flos. Quia spiritus  
Iehouae sufflauit in eum. Verè herba est populus, vbi  
obseruetur וְדָרְסוּ quod LXX. reddiderunt gloriam, vt &  
Petrus 1. Epist. cap. 1. ver. 24. vi sanctae vocis constitui in  
bonitate, pietate, misericordia, vt sic gloria hominum

summa quam in virtute quæsiuerunt, exclusa sit, ideoque virtuti, ex naturali libero arbitrio prognatæ, cui Pontificij sapientiores, gratiam Dei non magis præficiunt, quàm gentiles, heroicis motibus afflatus diuinos, causam, verò iustificationis deferunt, accommodetur exclusiua.

75. Expendant etiam omnes Iesuitæ doctiores, quod Philosophi flores illi mundi herbescens, qui moderantur Pontificiam Theologiam ad flatum spiritus Iehouæ concidant, id quod 1. Cor. 1. & 2. egregiè explicatur ab Apostolo, & flores agri, sapientes principes huius seculi appellat.

76. His consideratis probè intelligitur, quod gratia Dei, non ferat in suo consortio opera nostra, quin perimat ea. Rom. 11. ver. 6. Rursus, quod opera nostra commixta, gratiam aboleant, vnde Sacerdotes & Pharisei, qui spectabantur legem iusticiæ. Rom. 9. ver. 31. Christum in nihilum redigisse dicantur. Actor 4. ver. 11. explicante Petro, reprobationem Christi lapidis Psal. 118. ver. 22. Matt. 21. ver. 24. vbi & hoc memorabile est quod Esa. 48. ver. 16. credentes, istis reprobantibus opponuntur, qui lapidem illum preciosum, ita vt positus est recipiunt, ideoq; non confunduntur, quales Apostolus ad Rom. 9. ver. 30. ait esse eos, qui apprehendant iustitiam quæ est ex fide.

77. Ad vberiore meditationem huius doctrinæ, faciunt & hæc dicta: Esa. 45. ver. 22. Deus iustus & saluans, non est præter me. ver. 23. Respiciete ad me, & salui eritis omnes fines terræ. Quoniam ego sum Deus, & non est amplius. ver. 24. Per memetipsum iuraui, egressum est de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quod mihi curuabitur omne genu, per me iurabit omnis

mnis



mnis lingua ver. 25. Tantum per Iehouam mihi dicit  
iustitia & fortitudo, vsque ad eum veniet ver. 26. in Ie-  
houa iustificabunt sese, & laudabunt sese omne semen  
Israël.

78. Insignis descriptio fidei, qua respicitur ad Ie-  
houam saluatorem, vt vnicum, & extra quem nihil est  
similiter spectandum, quæ ipsa fides, si quod est sona-  
re debeat, dicat: tantum in Iehouah iustitia mihi &  
fortitudo & sic ad Deum venire, eumq; tenere dicitur.  
Quia igitur sic fides sonat exclusiuam, certè non erit  
vera fides, si vel suam vel coniunctarum virtutum di-  
gnitatem ad exclusiuam abolendam respexerit, & præ-  
dicauerit, neq; ipsa verè venit ad Iehouam, si incom-  
plexu sociarum ita hæreat, vt amplexus Iehouæ obli-  
uiscatur, eumq; solum sibi oblatum, vt pulcherrimum  
chorum virtutum inde efficiat, respuat.

79. Valde iucundum est meditari, quod fidei vox fit  
precatio, qua dicitur: Tantum in Iehoua mea iustitia  
& fortitudo. Quæ vox si conticescat, nulla oratio vera  
fuerit, id quod docuit Christus cum in nomine suo ora-  
re iussit. Et scitè Augustinus: Non orat nisi fides. Qua-  
le igitur obiectum adorationis, tale & fidei, vt si opera  
nostra assuantur Christo, tanquam causæ iustitiæ no-  
stræ, necesse est idololatriam committi.

80. Ad vitandum igitur tantum scelus, oremus cum  
Daniele cap. 9. ver. 7. Tibi Domine iustitia, nobis au-  
tem confusio faciei. ver. 8. O Iehoua, nobis confusio fa-  
ciei, regibus nostris, principibus nostris & patribus no-  
stris, quia peccauimus tibi. ver. 9. Tibi autem Domino  
Deo, misericordia & propitiations, quia recessimus à  
te. ver. 17. Nunc igitur, exaudi propter Dominum. ver.  
18. Non enim in iustitijs nostris nos prosternimus pre-  
ces

ees, ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. ver. 19. Domine exaudi, placare Domine, attende & fac, ne moreris, propter te metipsum Deus meus.

81. Qui mentem tali exercitio instruit, vt inde ad exclusiuarum, fidei adiectarum considerationem conuertatur, is multas vanas disputationes effugiet, & tenebit, quod exclusiuæ largiunt: videlicet gratis, eius gratiâ. Rom. 3. ver. 24. fide, absque operibus. ver. 28. Non operanti, credenti autem qui iustificat impium. Rom. 4. ver. 5. Non iustificari hominem ex operibus legis <sup>eddy 104</sup>, nisi per fidem Christi Gal. 2. ver. 16.

82. Paulus Phil. 3. ver. 6. iustitiam quæ est in lege, sic seponit, vt suo quidem loco, lucra, damna tamen dicat propter Christum ver. 7. & quidem omnia damna pronunciat, propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini sui ver. 8.

83. Etsi verò, arbore bonâ effectâ, fructus etiam fiunt boni. Matth. 12. ver. 33. vnde, quod non est ex fide peccatum est. Rom. 14. ver. 23. & impossibile est sine fide placere DEO posse. Heb. 11. ver. 6. tamen illæ virtutes, consequentes fidem, exclusiuam non tollunt, sed manet vox fidei. Esa. 45. Tantam in Iehoua mihi iustitia & fortitudo. Tit. 3. ver. 5. Non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed ex suâ misericordiâ saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

84. Initium, medium, & finis gratiæ DEI, fidei tribuitur. Rom. 5. ver. 1. & 2. virtute enim Dei per fidem custodimur ad salutem. 1. Pet. 1. ver. 5. ideoque finis fidei, salus animarum vocatur ver. 9. vnde Paulus ad Rom. 4. ver. 6. 7. & 8. ait: Dauidem (Psal. 32. ver. 1. & 2.) pronunciare beatum hominem, cui DEVS imputat iustitiam

tiam absq; operibus. Et Eph. 2. ver. 5. Gratiâ saluati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est. ver. 9. Non ex operibus, ne quis gloriatur. Ac ne huic sententiæ obstare putetur, quod de operibus cogitamus, ipsius virtute effectis, addit ver. 10. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu, ad bona opera &c. quasi diceret: Manet gratia eius, gratuitum donum, salus æterna, idque sic accipiatur, vt excludantur opera, non tantum quæ sunt ex nobis, sed etiam quæ ex Deo in nobis quia in Christo Iesu ad ea condimur, non contra Christum. Quomodo autem sit contra Christum, operibus gratiam diluere, supra diximus thesi 69. & 76.

85. Reijcimus propositionem: Bona opera sunt necessaria ad salutem. item hanc: Applicationem promissionis gratiæ, fieri & fide cordis, & confessione oris, ac reliquis virtutibus.

86. His, de causis efficientibus præmissis, causam formalem iustificationis, credimus, remissionem peccatorum, & imputatam iustitiam Christi, quæ est obedientia & meritum ipsius, vsq; ad mortem crucis descripta. Phil. 2. ver. 8. Qui cum non nosset peccatum, factus est pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo. 2. Cor. 5. ver. 21. Factus maledictum vt nos à maledictione legis redimeret. Gal. 3. ver. 13. Subiectus legi, vt eos qui sub lege erant redimeret. Gal. 4. ver. 4. & 5. Et sic factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. ver. 30. Cuius gratiâ, eum fideles semper vocarunt Iehouam iustitiam suam. Ier. 23. ver. 6. cap. 33. ver. 16. Sicut hoc Apostolus Rom. 4. ex 15. Genes. & Psal. 32. demonstrat.

87. Bellarminus lib. 2. de iustif. cap. 3. fatetur Rom. 3. ver. 24. 25. & 26. penè omnes causas iustificationis

D

com-

7.  
Causa formalis.

commemorari: sed, duas particulas (gratis, & eius gratiâ) diuidit, vt illa, meram liberalitatem Dei, hæc, infusam qualitatiuam iustitiam significet. Verùm, est manifesta corruptela, cum gratia appelletur legis fidei, per quam excludatur gloriatio, & quidem illa, quam non excludat lex operum ver. 27. vnde concludi certò possit: hominem fide iustificari absque operibus legis ver. 28.

88. Andreæ Osiandri error, de essentiali iustitiâ Dei, eodem recidit cum Pontificijs, quod Dominus Melanchthon anno 54. in disputatione D. Musæi thesi 30. ostendit. Ait Osiander, fidem esse præparationem ad iustitiam (planè idem Pontificij) quia fide accipitur diuinitas (hîc nonne sentit, quia Pontificij fidei formata hoc est, non fidei immediatè, sed mediante charitate, & sic huic amplexui Dei tribuunt,) quæ postea mouet ad iusta faciendâ: ita reipsâ hoc dicit, ait Melanchthon, hominem nouitate iustum esse, quia diuinitas, in eo nouas actiones efficit.

89. Idem in disp. Becceri thesi 28. Damnandæ sunt corruptelæ Papisticæ, Osiandricæ, Thammericæ, quæ omnes, re ipsâ similem synechdochen fingunt: Fide præparamur, vt postea aliâ re simus iusti. Monachi dicunt, dilectione: Osiander nominat non virtutes, seu effectus, sed causam efficientem. Ait hominem fide præparari, vt postea iustus sit, Deo ipso efficiente in eo nouas virtutes. Sic interpretatur ipse iustitiam essentialem.

90. Idem in disp. D. Steiniij thesi 24. Stenckfeldius dissentit de iustificatione, quia contendit, homines iustos esse, propter nouam obedientiam, quæ in eis inchoatur, cui tribuit etiam, vt Osiander, nomen iustitiæ essen-

fen-

sentialis, & alias Enthusiasticas appellationes. Has theses D. Philippi, nostras facimus, quia sunt dextri iudicij, grauiſſimæ ſententiæ, de perplexis opinionibus.

91. Notetur autem, quod fugienda ſit omnis ſynechdoche, vt fugiatur dilutio gratiæ, quam meram tueri oportet, per omnes cauſas iuſtificationis, maxime verò vbi de re agitur, quâ ſumus iuſti. Idcirco rectè etiam in Formula Conc. hanc propoſitionem reiectam eſſe ſtatuímus: Credentes coram Deo iuſtificari, vel coram Deo iuſtos eſſe, ſimul & imputatione, & inchoatione: vel, partim imputatione, partim inchoatione nouæ obedientiæ.

92. Finis ſanæ doctriinæ de iuſtificatione, eſt laus glorioſæ gratiæ D E I, quâ nos gratos, ſibi gratis efficit in dilecto. Eph. 1. ver. 6. & ſalus animarum. 1. Pet. 1. ver. 9. Cui vtriq; fini, doctriina Pontificia per omnes cauſas aduerſatur. Dum enim gratiã Dei, id eſt, gratuitam miſericordiam & dilectionem Dei, nullibi meram tuentur, ſalutem æternam ſimul inuidet hominibus.

93. Oramus autem, vt D E V S, Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater ille gloriæ, det nobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, per agnitionem ipſius. Eph. 1. ver. 17. oſtendat nobis ſummas opes ſuæ gratiæ, ſuã erga nos benignitate in Chriſto Ieſu. Eph. 2. ver. 7. vt illuminatis oculis mentis noſtræ ſciamus, quæ ſit ſpes illa vocationis ipſius, & quæ ſpes gloriæ hæreditatis ipſius, in ſanctis. Eph. 1. ver. 18. Et quæ ſit excellens magnitudo potentiæ ipſius, in nobis, qui credimus per efficacitatem ro-

boris ipſius

v. 19.

**DEO SOLI GLORIA.**



SAL. FRENCELII, ETC.  
IN HANC DISPUTATIONEM  
Hexastichon:  
ADVERSVM BELLARMINVM.

**B**ELLARMINÆ, Operum quid  
iacetas saluificam vim,  
Argumenta cadant cum tua, voce  
DEI?

Signiferi HOFMANI, & SCHEV-  
LINI Militis arma

Hac inuicta vide, & deniq; linque tua.  
Desine in immotum cructare Sophismata VER-  
BUM:

Sunt BELLA-ARMA-MINVS, quæ  
violenta nimis.

XII. Maij. An. MD. LV. XCVIII.













99 A 6905

ULB Halle  
002 824 817

3



5b<sub>a</sub>







DISPUTATIO  
DE IUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM  
DEO, CUIUS VERITATEM, AV-  
spicijs Sacro sanctæ Tri-  
nitatis.

PRAESIDE DANIELE HOF-  
MANNO THEOLOGIAE DOCTORE  
& illustris Iulæ Professore pro impetrando gradu  
Doctoris in Theologia, publicè defen-  
dere conabitur

*M. LAURENTIUS SCHEVRLÉ*  
*VLSENSIS THEOLOGIAE IBIDEM*  
*professor, pastor, & generalis Superin-*  
*tendens,*

Mense Maio.



HELMAESTADII  
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno  
M. D. XCVIII.

25

